



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Quibus Diis equi sacri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

56 statum fecimus. Feræ reliquæ vitas animantium omnes ostendere videntur. Saxum, terræ firmam & stabilem sedem, sua se soliditate continentem signat. Antrum deniq; ac nigra palla, ea plurima, quæ de rerum causis & originibus minus adhuc comperta delitescunt, ut in simulacris Isidis caput per desque ex nigro lapide: de qua re dictum est alibi.

QUIBUS DIIS EQUI SACRI. CAP. XXXI.

Quod vero Marti primum omnium facer Equus esset, ex eo constat, quod Decembribus Idibus illi Equus, qui à dextra viator fuisset, immolabatur. Dextera enim masculina censerri diximus in Tauro, & mares animos Marti passim videmus attributus, de quo latius in pudendis virilis interpretatione, neque non in Scarabeo. Sacrificii vero hujus causam nonnulli putant, ut Martem hostia, quæ illi plurimum esset accepta conciliarent. Nam & Pausanias ait, Tyndarum raptæ filiæ injurias ulturum, cum Menelao marito procul aliis in locum unum convocatis, immolato prius Equo, ut bellum adversus Trojanos suscipierent, juramento adegisse. Neque defunt, qui sacrum, quod Decembr. Idibus fieri solitum dicebamus, Octobri mense factum autument: eaq; de causa Equum eum Octobrem itidem appellatum, fuisseque non levem Roma de capite ejus contentionem inter Suburbanes & Sacravientes, ut id scilicet ii in Regiæ pariete, illi ad Turrim Maniliam affigerent. Utcumque vero, Equus panibus caput redimitum habens, Octobribus Idibus pro frugibus in campo Martio Macerabatur. Ideo vero Equum potius quam Bovem immolabant, quia Equus animal bello dicatum, ad frugum potius perniciem, quam auctum, spectare videbatur: Bos verò ad frugum proventem & commoditatem natus. Quin etiam authores sunt, Equos à Romanis non ideo maestri solitos, ut Martem sibi conciliarent, sed ut supplicium ex eo summerent, per quem constat Trojam fuisse captam, unde se oriundos illi profitebantur. Sed enim perfrigida & jejuna admodum calumnia hæc mihi videtur in Romanum nomen: ut populus tot virtutibus insignis, immeritum animal quotannis ita multarent, quique gravissimas injurias hostibus sèpe condonare soliti essent, uni huic immortali in Equos odio tam pertinaciter inhærerent. Lacedæmonii vero, ut Festus afferit, Equum, venis in monte Taygeto soliti post-immolare, eundemq; ibidem adulere, ut cinis ventorum flatu per fines quam latissime dispergeretur. Ceterum Pausanias Soli Equum in eo monte tradidit à Lacedæmoniis maestri solitum Persarum more. Hinc Curioni Xenophon Equum donat, quem Solis sacrificet, cum eam apud Perfas esse Solis viciniam non ignoraret. Idem author est, apud Sauromatas Equos ad sacra, & ad cibos ali: unde apud Epigrammatarium nostrum;

Venit ab epoto Sarmata pastus Equo.

Nempe **M**ar **S**armatas enim Romani dicunt, quos Greci Sauromatas, ut Plinius libro quarto. Apud Stephanum **tiale lib. I.**, diversi sunt populi, quamvis utraque gens Scythica. Apud Salentinos Jovi dicatus Equus, vivus in **Epi gramma** ignem conjiciebatur, perinde ac Rhodii quotannis quadrigas Soli consecratis in mare jaciebant: quod vulgatum est eum tali vehiculo circumvehi mundum. Ut etiam in Illyrico, ea de causa, quod Tridentis iētu terra Equum excierit, quatuor Equos nono quoque anno marinis fluvibus habendos jaciebant. Apud Philostratum in Heroicis, legas pullum Equinum coloris albi, & fræni sella risque adhuc ignarum, Soli sacrificandum pro victoria assequenda, idque suauis Palamedis perterre factis aliquando Græcis, quod Solis deliquium, dum circumfident Trojam, inspexissent. Has quasdam veluti phaleras Equo libuit addere, quas sumptu nostro comparatas si quis approbare, iis uteretur: qui vero ornatum alium extiverit, vel ex aliis querat, vel impensa sibi comparet sua.

JOAN.